

Sr. Geyenoglyboft

und

Herrn Landrichter von Sauffen

~~...~~

~~...~~

dem Prokurator.

9

5849 g
A-369-1000

IVS FAMVLITII

IN


LIVONIA

OBTINENS

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu
8833

DELINEAVIT

GVILIELMVS DE HEZEL.



DORPATI, 1807.

TYPIS ET IMPENSIS MICH. GERHARDI GRENZII,

TYPOGRAPHI ACADEMICI.

CONSPECTVS CAPITVM.

Cap. I. De iuris famulitii fundamento.

- §. 1. Definitio iuris famulitii.
- §. 2. Eius origo.
- §. 3. Definitio contractus.
- §. 4. Proxenetæ famulitii.
- §. 5. Fontes.
- §. 6. Subsidia.
- §. 7. Ordinis ratio redditur.

Cap. II. De contractu locationis operar. ipso.

- §. 8. Nexus.
- §. 9. Definitio.
- §. 10. Coroll. 1.
- §. 11.) De consensu.
- §. 12.)
- §. 13. Coroll. 2.
- §. 14. Regulæ quoad facta famulorum adhibendæ.
- §. 15. Coroll. 3.
- §. 16. Coroll. 4.
- §. 17. Iura reciproca.
- §. 18. Coroll. 5.
- §. 19. Arrha.

Cap. III. De iuribus et obligat. circa hunc contractum verfantibus.

- §. 20. Nexus atque diuisio.

Sectio prima. De iuribus atque oblig. quæ paciscentib. competunt.

- §. 21. Iuramentum fidelitatis.
- §. 22. Famuli officia.
- §. 23. Quid si recuset?
- §. 24. Ius correctionis.
- §. 25. Remedia iudicialia.
- §. 26. Infidelitas atque
- §. 27. Iniuriæ famulor. domino illatæ,
- §. 28. Substitutio.

- §. 28. De famulo teste.
 §. 30. Damnum, quod in seruitio sensit.
 §. 31. Iura, nondum conducto competentia, retinet.
Sectio secunda. Iura atque obligat. respectu extraneorum.
 §. 32. Famulus heri mandatarius.
 §. 33. Famulus delinquens.
 §. 34. Iniuriae famulo illatae.
 §. 35. Famuli seductio.
Cap. IV. De famulorum criminibus.
 §. 36 — 38. Praemonenda.
Sectio prima. De fuga famulorum. §. 39. 40.
Sectio secunda. De infidelitate famulorum.
 §. 41. Notio et diuisio.
 §. 42. 43. Furtum.
 §. 44. Eiusdem poena.
 §. 45. Infidelitas in heri personam commissa.
Sectio tertia. De iniuriis domino illatis.
 §. 46. Notio et diuisio.
 §. 47. In qualificatis habentur delictis.
 §. 48. Poena.
Sectio quarta. De homicidio dolofo.
 §. 49. Definitio.
 §. 50. Poena.
Cap. V. De contractus huius dissolutione.
 §. 51. Diuisio.
Sectio prima. Quomodo dissoluitur contractus?
 §. 52. Causae enumerantur.
 §. 53. Vitium in contr. essent.
 §. 54. Mutuus dissensus.
 §. 55. Lapsus temporis.
 §. 56. Mors.
 §. 57. Delictum.
 §. 58. Tutela.
 §. 59. Nuptiae.
Sectio secunda. De factae dissol. effectibus.
 §. 60. Nexus.
 §. 61. Iura et obligat. famuli.
 §. 62. Iura et oblig. domini.
-

CAPVT PRIMVM.

De iuris famulitii fundamento.

§. 1.

Ius famulitii est complexus iurium, quae circa famulos famulasque, cuiuscumque sint generis, versantur. — Specialiori autem sensu ad obligationes, ex contractu inter illos ac dominum inito et illius respectu orientes, spectat.

§. 2.

Ius famulitii in contractu nititur (§. 1.) cuius originem in locationis operarum contractu romano inuenimus, quem tamen, cum serui voluntate destituti praesumantur, non nisi ingenuis inire licebat. Sed vsu et consuetudine mutata res est. Seruos non amplius nouimus et certo solum respectu homines proprii locum eorum tenent, licet capite non careant *a*). Quocirca hodie famuli duplicis sunt generis, aut *liberi*, nullius omnino

dominio subiecti, aut *homines proprii*, qui domini, cui subsunt, vel iussu vel permissione, litteris dimissorialibus (*Dienstschein*) attestata, hunc contractum ineunt.

Alia insuper principiorum iuris romani mutatio inualuit vsu. Apud Romanos enim, libertas, cum inaeestimabilis res esset, laedi putabatur, si dominus, modica tantum poena officiorum susceptorum immemorem castigaret. Apud nos autem castigatio, quam dicunt domesticam, domino iuste irato permessa est, cuius principia atque requisita infra exponemus.

a) cf. §. 4. Inst. de capit. deminut. —

§. 3.

Expofita breuiter iuris Romani a nostro differentia, contractus ipsius, cui nomen antiquum lubenter relinquimus, definitio facile patet. Est autem contractus consensualis, quo *quis pro certo pretio ab altero dato, certas operas illiberales ad certum tempus ei praestare, seque officiis susceptis non satisficientem castigationi legali subiicere promittit.* Cui pro mercede promissa operae promittuntur, conductor operarum, *herus* vocatur (germ. idiomate *Brodherr*, *Dienstherr* et, si mulier sit, *Brodmutter*, *Dienstfrau*.) Qui autem operas praestat, vocatur *locator operarum*, *famulus* (vnde familia dicta, secundum Festum, quasi sit *famulia*.)

Hic vel omnia omnino vel certi tantum generis negotia suscipit, quod speciale eorum nomen determinat a).

a) Cf. Th. Haymen jurist. Lexicon v. Gesinde. §. 3.

§. 4.

Proxenetae famulitii a) cura et auspicio iniri solet hic contractus. Proxenetam dicimus personam, negotiis licitis qualibuscumque conciliandis operam commodantem mercenariam b). Nusquam locorum, ubicumque hominum existit feruendo idoneorum copia, deesse debet c). Quicumque enim aut legum vi d) aut sua ipsius sponte famulitii ministerium ingrediuntur, nomen domiciliumque professi, loco consueto e) ternis cuiuscumque diei horis famulitii catalogo inscribuntur, ex quorum numero, ut heris, quibus famulis opus est, eligendos quosdam proponere possit f).

Domini pactum cum aliquo ex horum numero electo initum eiusque conditiones g), proxenetae eum in finem denunciare iubentur, ut libri eius documenti loco esse possint, utriusque paciscenti. gg)

Praeceptiui omnino tamen non est iuris, ut proxenetam famuli nanciscendi causa adeat herus. Sed ubi adire eum neglexerit, periculum est, ne vexationibus sese exponat, iudicis auxilio destitutum h).

a) *Gefindemäkler.*

- b) Hellfeld inrispr. forens. §. 2187. —
 c) Ord. Polit. Russ. §. 181. — add. Heumann. initia iuris
 politiae, §. 185. §. 229.
 d) ead. §. 190. vid. inf. §. 11. No. 1.
 e) ead. §. 183.
 f) ead. §. 186.
 g) ead. §. 187. — gg) ead. §. 188.
 h) ead. §. 189.

§. 5.

De hoc ergo contractu, in quo ius nititur nostrum, cum primum in fontes et subsidia inquirerem, capitibus sequentibus verba faciam. *Fontes* autem sunt, qui sequuntur: 1) *ius commune*, quod quomodo ad doctrinam nostram adplicandum sit, ex supra dictis adparet. 2) *Iura prouincialia*. Etsi haec alias lacunis saepe laborent, ad nostrum tamen institutum permultum faciunt. Sigillatim ea recenseamus.

Vetustissimum fere, quod adhuc obtinet, auctonomiae exemplum, *ius prouinciale et equestre Liuonicum*, cuius optimam hucusque editionem Perill. Buddenbrockio debemus a), capitibus sequentibus rem, quam tractandam sumimus, proxime tangit: c. 20. 143. 149. 150. 193. 194.

Quo autem, in Livoniae oppidis, non vigente, recepta ibidem sunt *Statuta Rigenfia* b) (d. a. 1674) quae lib. II. c. 9. §. 9. lib. III. tit. I. §. 4. Tit. 10. No. 7. Tit. 12. §. 3. 4. 5. de iure famulitii tractant. — *Ordinatio politiae Russica* d. 8. April. 1782 supra

iam allegata, §§. 181 — 190 rem nostram tangit. Generales denique normae et in oppidis et rure valentes, sunt 1) *leges Suecicae*, praesertim in ordinatione Liuoniae c) (*L. O.*) p. 33. 229. 436. 457. 727. 2) Publicationes summi prouinciae praefecti.

a) Mitaniae 1804. 4to.

b) Recusa Rigae. 1798.

c) Rigae (1663. 1704.) 1707. 4to.

§. 6.

A fontibus iamiam ad subsidia nobis, ordinem naturalem sequuturis, progrediendum esset, ad scriptores scilicet, res famulitii indagantes. Sed quum pauci sint, qui ill. *Dornio* aequipolleant a), eum hic nominasse sufficiat, reliquos autem b), praesertim eos, qui parti tantum alicui tractandae operam suam impenderunt, suo loco inferemus.

a) In opere cui titulus est: *Versuch einer ausführlichen Abhandlung des Gesinderechts. Erlangen 1794.*

b) Quorum quosdam exhibet *Heumann. l. c. pag. 230.*

§. 7.

Restat, vt ordinis, quem sequi lubuit, rationem reddamus:

Cap. II. de contractu ipso fusius differitur, eiusque requisita exponuntur.

Cap. III. agimus de iuribus atque obligationibus circa hunc contractum existentibus. Eius effectus autem

vel paciscentes ipsos tangunt, (Sect. I.) vel extraneos. (Sect. 2.)

Cap. IV. De criminibus agitur, quae aut relationem famuli erga dominum spectant, (Sect. 1.) aut respectu huius contractus qualificata sunt. (Sect. 2. 3. 4.)

Cap. V. denique de contractus dissolutione agit et 1) in dissolutionem ipsam, quomodo fiat, inquit (Sect. 1.) 2) effectus factae dissolutionis proponit. (Sect. II.)

CAPVT SECVNDVM.

De contractu locationis operarum ipso.

§. 8.

Superiori capite omnia, quae de iuris famulitii fundamento dicenda erant, proposuimus. Nunc de ipsius contractus principiis paullo prolixius differere lubet. Quem supra (§. 3.) definiuimus, eum hoc loco ex illius notione ipsa illustrabimus.

§. 9.

Diximus, contractum esse consensualem, quo quis pro certo pretio, ab altero dato, certas operas illiberales ad certum tempus ei praeflare, seque officiis susceptis non satisficientem castigationi legali

subiicere promittit. Exinde sequitur 1) contractum esse consensualem; 2) vbi quis facta illiberalia praestare promittit; 3) pro certo pretio 4) vsque ad certum tempus; 5) castigationi, vbi peccauerit, se submittendo.

§. 10.

Est igitur *contractus consensualis* (§. 9.) qui solo consensu perficitur a). Consensus autem, „*plurium ad idem tendens voluntas*“ b) vel ab ipsis contrahentibus c) vel per alium declarari potest d), quae declaratio vel expresse fit, vel tacite e), nec in nostro contractu nisi rarissime litteris mandatur.

a) l. 1. ff. locati.

b) Hellfeld iurispr. for. §. 287.

c) Mutuus itaque fit, necesse l. 1. §. 3. ff. de pactis et pollic.

d) cap. 68. 72. de reg. Iur. in 6to.

e) l. 2. pr. et §. 1. ff. de pactis.

§. 11.

Quae de consensu h. l. notanda, redeunt fere ad hasce regulas:

I. *Is solum valide consentire potest, qui propriam voluntatem habere creditur. Ergo non possunt pacisci:*

1) summe ebrii a);

2) impuberes et minores, sine parentum, curatoris tutorisue consensu.

3) glebae adscriptus, qui quum non liberam de viribus suis disponendi facultatem habeat, non nisi praeuiis litteris dimissorialibus a domino, cuius potestati subest, datis, pacisci seruitiaque aliena efficaciter fuscipere potest.

4) qui iam alibi seruit. Nemo enim duobus simul locare se potest b) sub poena vnus anni mercedis, ei soluenda, quocum nouissime contraxerat, c) quia primo contractu perfecto conductor ius perfectum adquisiuit, famulus autem vltius operas suas locandi facultatem amisit. Tenetur seruire priori. Nec obstant verba legis, quae sic se habent: „*von welchem er, oder sie, das erste Handgeld genommen.*“ Arrha enim, quae ad accidentalialia tantum negotii pertinet, non nisi obligationem iamdum existentem firmat et hac non exstante, arrha posterioris contractus non obstat, quo minus hic dissoluatur, ille saluus maneat.

Hac autem obligatione et herus tenetur. Nemini enim leges concedunt, aliquem conducere, de quo non constat, seruitio alius dimissum esse, sub poena soluendae vnus anni mercedis.

α) cap. 14. X. de vita et honest. cleric.

b) l. 26. ff. locati.

c) ord. Liouon. p. 443.

d) l. cit.

e) l. 35. pr. ff. de contrah. emt. vendit. — „non eo pertinet, quasi sine arrha conuentio nihil proficiat.“ —

f) ord. Liouon. p. 443.

§. 12.

II. *Quidquid consensum impedit, pactum tollit.*

Consensum vero impedire censentur:

1) *metus a)*, impediens quo minus quis voluntatem, quam reuera habet, declarare possit. Si enim seruus *repraesentatione mali futuri non vana b)* se conducere passus est, irritus est contractus. Sed ubi *metus iustus* fuerit, tunc res aliter se habet. Hunc enim, lege auspice, saepe a magistratibus parari constat c). Inertes enim homines, et quibus, si negotiis plane vacarent, fides non haberetur, ad seruiendum coguntur d), omnesque qui defides huiusmodi homines recipiunt et secum habitare patiuntur, sibi poenam contrahunt 40 marcar. argent. tales hospitio receptos non denunciantibus. Ratio patet. —

Hic autem *metus* non obstat libero consensui, quod 1) iustus habeatur; 2) heri electio famulis nihilominus salua maneat.

- 2) *dolus*, qui vel causam dat contractui, vel incidens est, principiisque iuris communis regitur.
- 3) *error f*). Obtingit hic vel in persona, vel in personae qualitatibus, vel in mercede, vel circa operas praestandas. Interdum etiam contractus nullus est ob
- 4) *simulationem*.

Ceterum si hic contractus locationis operarum, vitio tali laborans, eo cognito, ratus fuerit habitus, reconualescit.

a) l. 1. et 3. pr. ff. quod metus causa. l. 3. de resc. E. V. 1. 136. ff. de R. I.

b) l. 6. ff. quod metus causa.

c) l. 3. §. 1. ff. h. t.

d) Ordin. Liuon. p. 437. 438.

e) Ord. Liv. p. 439. — Stat. Rig. lib. 3. tit. 12. §. 4. Leg. arbitr. Rig. tit. 10. §. 5.

f) Cf. ill. Thibaut in *Verfuchen u. f. w. Th. 2. p. 110, ff.*

§. 13.

Famulus facta praestare promittit (§. 8.) et haec quidem

- 1) *illiberalia*, quae corpore magis, quam intellectus et ingenii vfu praestantur, quia operae liberales plane non locari solent, quam ob rem pro iis compensandis nec merces, sed *honorarium* soluitur, quod

per contractum innominatum „do ut facias“ promittitur.

2) *possibilia*, h. e. non ultra vires famuli esse debent, quod ad impossibilia non detur obligatio a).

3) *honestia* b), bonis moribus non repugnantia. Nam, liceat in medium proferre exemplum: si quis, famulorum seruitio, vectigalia defraudaturus, vteretur, contractus nullus, vterque autem, herus et famuli, poenae obnoxii forent, nec hos iustus excusaret, quippe qui hic non est *irresistibilis* c).

4) *hero tantum*, eiusdemque familiae, inquilino ac hospitibus sunt praestanda.

Famulus antea scire debet, an aut in omnia, aut in certi tantum generis negotia incumbere debeat. Nam *ad non cogitata non trahitur consensus*. Semper autem herus, quod e re ipsa apparet, melius sibi consulit enumerandis saltim in genere laboribus. Si famulus operas ab hero exactas praestare recusauerit, contendens suas non esse, consulendus erit vsus in prouincia receptus, docens quid operarum huius generis famulis incumbat.

a) l. 31. 185. 188. ff. de reg. iuris.

b) l. 26. ff. de V. O.

c) l. 157. pr. l. 167. §. 1. l. 169. ff. de Reg. iuris. l. 11. in fin. l. 12. ff. de his qui not. infamia. cf. Ill. Meisteri princ. iur. crim. §. 119.

§. 14.

Duae adhuc, quae supersunt, regulae, spectantes operas famulorum conductori promissas, insignes sunt:

I. vt famulus eâdem, qua sua ipsius negotia gesturus fuerit, diligentia, heri negotiis operam det, et, si duobus simul se locauerit heris, (ipsi haud insciis nec nolentibus, supra enim — §. 11. — de casu omnino diuerso, si animo alium defraudandi id scilicet fecerit, locuti sumus), prius iussa, prius item exsequatur. Quia insuper hoc in contractu comoda pariter atque incommoda vtrisque sint diuisa, a locatore aequae ac conductore *culpa leuis a)* praestatur, nisi res alia pacto sit definita. —

II. Famulo aliquid temporis ad sua ipsius negotia peragenda relinquendum est, nisi ad certas et determinatas operas sit conductus.

a) l. 28. Cod. locati.

§. 15.

Pro operis hisce illiberalibus promittitur merces
— (Miethgeld, Liedlohn) — (§. 8.) Cui

1) leges iuris fere vniuersi quam maxime fauent a).

2) non semper pecunia est signata. Alimenterum tamen praestatio coniuncta esse so-

let,

let, ideoque vna cum mercede promissa esse praesumuntur *aa*). —

3) A lege non est determinata, quia secundum laborum praestandorum magnam diuersitatem valde anceps est *b*). In votis quidem est omnibus, quorum interest, vt *maximum quoddam* definiatur, quod nec famulis poscendo, nec heris promittendo sit transfiliendum.

4) Si herus famuli, culpae omnis expertis, operâ amplius vti nolit e. g. si in aliam terram migrare statuerit, mercedem promissam, eamque integram, soluat *c*).

5) Subinde in poenam delicti amittitur, qua de re infra. Alias autem integra est soluenda, nec causis altius repetitis, saepeque vanis, aut retinenda, aut ipsi detrahenda. Nam detractio a mercede hisce tantummodo casibus iure fit: vt

a) Famulo tenaciter aegrotato aut plane posthac officii praestandis inepto, herus, ipsius loco, alium conduxit *d*). Si enim ad breue solum tempus impeditus fuerit, quo minus seruitia praestet *e*), iniusta foret detractio.

b) Famulus damnum culpa leui dedit; quod ad refarciendum detractio fit.

6) Merces iusto tempore soluenda est, conventionione contrahentium, aut consuetudine determinata. Alterutra deficiente merces praenumeranda non est.

a) vid. c. 12. dist. 38. c. 15 caus. 14 q. 5. Ius Lubec. lib. 3. tit. 1. art. 4. Meuius ad h. l. — Ius prou. Saxon. lib. 1. art. 22. — I. prou. et equestre Liuon. c. 20. Stat. Rigens. lib. 3. Tit. 10 de priorit. creditorum. — At hoc ius praefertentiae in concursu super bona domini orto, in nonnullis Germaniae ciuitatibus restrictum est. vid. *Runde's deutsch. Priuatrecht* §. 200 in fine.

aa) Interdum et vestimenta praebentur, magis tamen ad usum, quam ad proprietatem. Heumanni *initia iuris politiae* §. 185 p. 229.

b) Ordin. Liuoniae p. 446.

c) l. 38. pr. ff. locati.

d) l. 15. §. 6. ff. locati.

e) l. 27 eod. — *Weber von der natürlichen Verbindlichkeit* §. 102.

§. 16.

Vsque ad certum tempus operas promittit.

(§. 9.) Dicendum primum nobis erit de termino a quo, quem diem S. Michaelis esse leges docent. Sed accuratius differenti duplex circa feruorum contractus ineundos tempus distinguendum erit:

1) Tempus perficiendi contractus. Sex hebdomadibus S. Michaelis diem festum praecedentem.

tibus, aut se relocet (§.55.) famulus, aut novum quaerat dominum.

2, Tempus implendi contractus. — Octiduo post S. Michaelis diem adeat dominum, ministerio functurus.

Sed si, quod huiusmodi hominibus contingere saepiuscule solet, promissis stare nolint, nec iusto tempore herum adeant, ab huius arbitrio pendet, an praeuia praefectus politiae imploratione, refractarium coercendi mediis legitimis vti velit, nec ne; quo casu arrham (§. 19.) iure repetit, ac tantum pecuniae insuper exigit, quantum, prioris loco, alium conducturo opus est.

Tempus ad quem, siue ministerii duratio in thesi legum est *annus*. Vbi autem tempore legislatae mos antiquus iamiam erat constitutus, ad dimidium temporis praefixi se locare, haec ibidem consuetudo feruetur.

Qui nullius potestati subest famulus, ad dies vitae se locare potest. —

Quomodo ante anni decursum hic contractus finiatur, ac derelictio ministerii intempestiua coerceatur, infra (§.51 seqq. §.39.) vberius docebimus.

*) Ord. Liu. p. 442. Stat. Rig. Lib. III. Tit. 12 §. 3. Ius prouinc. et equest. Liu. Cap. 149 — O. Liu. p. 33. 443 fin.

§. 17.

Sicuti autem domino ius competit exigendi, ut famulus per tempus determinatum apud sese maneat, (§. 16.) ita nec famulus ante hoc spatium ex iniusta causa dimittatur et si nihilominus siue absque vlla, siue leui de causa, a legum tenore aliena, eiiciatur, isque a duobus vicinis, domino, ut eum recipiat, coram sistatur, ministro huic non recepto integra anni merces solvenda est.

- a) I. prov. eq. Liu. c. 149. ord. Liu. p. 444. Stat. Rig. Lib. III. Tit. 12. §. 3. — add. Publ. summi prou. praef. d. 31. Iul. 1764.

§. 18.

Castigationi domesticae Domini se submittens; (§. 9.) Si scil. officiis non satisfecerit. Sed de hac re infra (§. 24.) dicendi magis opportunum esse existimauerim.

§. 19.

Contractu perfecto arrha dari solet. Est id, quod in signum iuris pacto acquisiti datur^a), et vocatur germanice: *Handgeld, Gönnegeld, Toppgeld, Toppschilling; Gottespfenning; Handgiste; Angeld; Angabe, Aufgabe; Weinkauf, Reugeld.* Semper confirmatoria esse creditur, nisi pateat, paciscentium voluntatem aliam seu contrariam

fuisse. Sequentia denique de arrha monenda nobis videntur:

1. non esse necessariam; (§- 11.) b)
2. ideoque libero heri arbitrio relictam;
3. a mercede non detrahendam, docente regula: *quod nullo iure cogente conceditur, id donari videtur* c).

a) W. A. Lauterbach diff. de arrha eiusque iure, in disertatt. Vol. 1 Nro. 11.

b) Arg. pr. Inst. de E. V.

c) l. 82 ff. de R. I.

CAPVT TERTIVM.

De iuribus et obligationibus circa hunc contractum versantibus.

§. 20.

Expositione contractus famulitii facta, ad obligationes inde oriundas progredimur. Quarum quamvis supra iam nonnullarum mentionem fecimus, vberiolem tamen expositionem eorum praecipue iurium, quae ibi memorare aegre poteramus, huic capiti reseruauimus. Iura et obligationes, quae respectu locationis operarum contractus existunt, aut contrahentium ipsorum in

ter se relationem spectant, aut ad tertium, eumque extraneum, spectant. De vtraque figillatim.

SECTIO PRIMA.

De iuribus et obligationibus, quae paciscentibus competunt.

§. 21.

Qui aut ex legis dispositione (§. 12.) aut sua sponte, seruitia iussaue alicuius subit, iuramenti fidelitatis praestandi hodie immunis est.

a) Vid. *Hävelke iurist, Handwörterbuch, Leipz. 1805. V. Dienstgefinde.*

§. 22.

Non sufficit a), cuius hominisque Christiani officiis satisfacere, pie sancteque semper Deum colere, ac sobriter viuere, relatione enim inter ipsum herumque obuia, noua eaque maioris momenti officia ipsi incumbunt. Herum ea, qua par est, obedientia ac reuerentia excipiat; ad heri nutum diligenter attendat; iusteque sibi ab hero herae mandata b) fideliter ac diligenter exsequatur; nec umquam obliuiscatur, hoc suum esse officium, has suas partes c).

a) ord. Liuon. p. 443.

b) Heri tamen praecepta herae praeceptis maiora putantur.

c) cf. Heumann l. c.

§. 23.

Si quis in adimplendis hisce officiis fegnis deprehendatur, primo benigno, dein feueriori modo commoneatur, quibus remediis frustra adhibitis, domino duplex agendi via patet: 1) iure correctionis vtatur; 2) aduersus refractarium agat, denunciatione apud politiae praefectum facienda.

a) ord. Liuon. p. 443.

§. 24.

I. *Ius correctionis*, quod domino competere diximus, (§. 23.) est *ius immorigeros modice castigandi a)*. Requirit 1) *factum famuli illicitum*. Nam si absque causa ius, quo fruitur, castigandi dominus, exercet, iniuriam famulo infert. Ceteroquin regula valet: qui iure suo vtitur, neminem laedit b) 2) *Modicum iuris exercitium*, quia vel hoc modo excedens laedere et inter alia famulum dimittere cogi potest bb). Caueat igitur, ne subliuidum et sanguinolentum eum reddat castigando c). Si eo furoris procefferit, vt famulum interficeret, sine dubio in homicidis numerandus.

a) ord. Liuon. p. 443.

b) l. 55 Dig. de R. I. l. 13 §. 3 et 6. Dig. de iniuriis.

bb) Mandata etiam sine clausula saepe locum habent, Stryck U. M. XI, 3, §. 8.

c) Statuta Rigens. Lib. 3. Tit. 12. §. 5. XI, 3. §. 8. cf.
l. 13. §. 4. locati,

§. 25.

II) Sin autem hoc iure vti noluerit, quid ipsi faciendum sit, iam videamus. Et iure quidem Romano, correctionis iure experto (§. 2.) *actio conducti* contra locatorem (pr. Inst. de loc.) competit, volenti, vt operae promissae rite praestentur (l. 9. pr. ff. loc.) et expensa refarciantur. Sed nouo iure nixi, ea non amplius indigemus. Facta, prout dixi, (§. 22.) apud politiae praefectum denunciatione, causae cognitio summaria vel potius summariissima b) instituitur, qua finita famulus reus, baculo vel virgis caesus, domino remittitur.

a) ord. Liuon. p. 443.

b) Public. summi prou. praef. d. 18. Oct. 1780.

§. 26.

Crebra contrahentium consuetudo, vt alter alteri quam maxime fidat, requirit. Graui ergo sanctione poenali *infidelitas perfidiaque* famulorum arcetur a). (§. 41 seqq.) Ad quam compescendam nulli eorum cistam seu arcam vestiariam alio loco, quam apud herum, habere fas est b).

a) l. prou. eq. Liuon. c. 193.

b) ord. Liuon. p. 447. Leg. arbitr. Rig. Tit. 10. §. 1.

§. 27.

Herum ea, qua par est, obedientia ac reuerentia excipere debet. (§. 21.) Ab omni ergo iniuria a) famulus abstineat, sub graui poena ipsi interdicta. (§. 46 seqq.)

a) ord. Liou. p. 728.

§. 28.

Quum in hoc contractu indiuiduorum ingenii atque indolis imprimis ratio habeatur, famulus inuito domino, alium sibi substituere nequit. Itidem dominus, si eius ministerio non amplius uti velit, alteri minime famulum, suaque in eius operas iura inuitum cedere potest (§. 12. No. 4).

§. 29.

Famulus testis est semper suspectus, siue pro domino, siue contra eum testimonium ferat.

1, 24, ff. 1. 3. 7. 8. Cod. de testib.

l. 8, §, 6. Cod. de repud.

cap. 24 X. de testibus.

L. L. not. a, pag. 350.

Baueri de admittendo famulitii hodierni in fauorem domini testimonio. Opusc. T. 1. No. 42.

§. 30.

Damnum, quod famulus in seruitio, absque culpa sua, sensit (e. g. si furto aut rapina aliquid amiserit,) a domino ipsi refarciatur, cui deinde actio contra maleficum competit, ad consequendam indemnitatem.

a) I. prou. et eq. Liouon. c. 194.

§. 31.

Famulus iura quaecunque retinet, quae sibi nondum conducto competebant, ac saluo ministerii officio exerceri possunt.

a) cf. *Eichmanns Erklär. des bürgerlichen Rechts.* Th. 2. pag. 354.

SECTIO SECVNDA.

Iura atque obligationes respectu extraneorum.

§. 32.

Omni, quod famulus, vi mandati specialis, fecit, fierique curauit, plene obligatur herus. Nam quod quis per alium fecit, ipse fecisse putatur. E. g. si quis famulus cauponis hospites in caupona excipiat, damnum, quem senserunt, dominus refarcire tenetur a).

a) l. 7. pr. Dig. nautae, caupones.

§. 33.

Quod autem, incio domino, famulus, et si heri comes, deliquit, huic non imputandum a). Damnum ergo dolo culpaue famulorum quacumque incendio datum, dominus, secundum eos, qui rectius sentiunt, refarcire non tenetur b), nisi

- 1) Famulum, cujus imperitia et negligentia in tractando igne ipsi satis innotuit, iusto diutius apud se tolerauerit, nec tempestiue a ministerio semouerit, aut
- 2) assidue et perpetue ignis incuriae reus fuerit.

a) I. prou. eq. Liouon. c. 288.

b) l. 11. pr ff. locati. l. 11. de periculo et commod. rei vend. l. 27. ad l. aquil. l. 3. pr. de publican. — *Quistorps Beyträge (Reslock 1787.)* No. 14. p. 202. 203.

§. 34.

Qui alius famulum non ipsius, sed domini folius causa, verberat a), aut eum depraedatur, vtrique mulctam soluat legitimam et quidem domino 40 marcar. argent., nisi sacramento asserat, se domino nec iniuriam inferre, nec laedere eum voluisse, tum a dimidia poenae parte liberatur.

a) I. prouin. et eq. Liouon. c. 143. — cf. §. 6. Inst. de iniuriis. — I. prouin. Saxon. lib. II, 34.

§. 35.

Nemini licet, famulum alterius *corrumpere* h. e. quoad animum, deteriorem reddere a), vt si quis famulum ad scelus pellexerit, maloue consilio instruxerit. Magnum enim a corruptis famulis damnum dominis infertur per clandestinas eiusmodi machinationes, antequam hanc perfidiam detegere eamque auertere possint b). A tali seductore non amplius quidem *duplum*, sed *id, quod interest* peti, poenaeque, arbitrio iudicis relinquenda, sumi de eo potest c). In specie autem legem laedit seuerius, qui famulum variis artibus fidei hero debitae immemorem reddere et ad se suaque seruitia pertrahere conatur d). Poenam soluat 40 marc. argent. Herus autem, heruae mediis legitimis famulum sibi vindicant, si velint, alioquin vt supra dictum, plectitur famulus.

a) arg. l. 1. §. 3. ff. de seruo corrupto.

b) Stryck in vsu mod. eod. tit.

c) *Hellfeld* §. 753. 754. — cf. L. L. tit. 14. cap. 30.

d) Ord. Liuon. pag. 444. — *Publicat. summi prouinc. praef. d. 31. Iul. 1764.*

CAPVT QVARTVM.

De famulorum criminibus.

§. 36.

Crimen siue delictum in genere committit, qui ciuitatis leges, absolute praeceptiuas, seu prohibitiuas poenales, ex consulto violat.

§. 37.

Quae leges aut vniuersos ac singulos ciuitatis incolas obligant, aut ad certi cuiusdam ordinis membra spectant. Vnde legum violationes in *delicta communia et specialia* diuiduntur. In his numeranda sunt delicta militaria; delicta officialium publicorum nec minus *famulorum*.

§. 38.

Delictum famulitii est violatio legum poenaliū famulis herisque qua talibus datarum, quae vel committendo fit vel omittendo. Praeterea aut vnice ad relationem inter herum famulumque spectant, aut communia (§. 37.) quidem sunt haec delicta, sed quoad hunc nexum qualificata.

SECTIO PRIMA.

De fuga famulorum.

§. 39.

Famulus obligatur contractu (§. 9.) per tempus stipulatum in ministerio permanere, qui cum vel absque vlla, vel ex iniusta causa aufugiat atque euadat, poenae obnoxius fit, cum herum spoliet.

a) Ordin. Liuon. p. 33.

§. 40.

Si de poena quaeras, distinguas:

1) An herus eum recipere velit? Politiae praefecto fugituum iam poenae immunem denunciaret, quem nemo secum habere vel celari patiatur a).

2) Nec ne? Tunc vltterius distinguendum (hic enim fontes variant.)

a) secundum I. prou. et eq. Liuon. c. 149. res sic se habet: si famulus proprio ausu seruitio domini exierit: huic tantum pecuniae soluat, quantum mercedis dominus promiserat ac duplum acceptae iamiam mercedis reddat.

b) Secundum ord. Liuon. p. 34.

aa) mercedem amittat.

bb) tantundem poenae luat.

cc) aut si hoc non possit, vinculis non-

nullorum hebdomadam scelus expiet
in carcere.

- a) Statuta Rigenfia, lib. 3. lit. 12. §. 4. — cf. l. 1. pr. ff. de fugitiuis. — Ius georgic. antiquif. Liwon. quod Alberto epifcop. regnante compilatum effe dicitur, fancit, eum, qui ante temporis lapfum feruitio exierit vel mercedem meritam amittere.

SECTIO SECVNDA.

De infidelitate famulorum.

§. 41.

Famulorum infidelitatem dicimus quamlibet actionem illicitam, qua domini ius perfectum in famuli fidelitatem violatur. Hoc crimen duplici modo committitur:

- 1) ratione personae domini, si pericula huic imminencia auertere famulus neglexit.
- 2) respectu patrimonii illius.

§. 42.

Furtum, prima eaque praecipua infidelitatis patrimonium (§. 41.) fpectantis species, est *ablatio fraudulenta rei alienae mobilis, inuito domino et animo lucrandi facta* a). Quod si a famulo in herum b) committitur, *domefticum* dicunt et *proprium* quidem c).

a) §. 1. Inft. l. 1. ff. de furtis.

b) l. 11. §. 1, ff. de poenis.

c) l. cit.

§. 43.

Furtum committit a), qui in traditis sibi a domino rebus custodiendis incuriae atque negligentiae arguitur, qui alios furari patitur, res domini curae sibi mandatas alea perdit, pignori dat aut vendit b). Quae licet vfucapione legitima a tertio adquiri queant, a hero tamen, dominum se esse probante, vindicari possunt.

a) art. 170. C. C. C.

b) Ius prouin. et eq. Liouon. c. 193.

§. 44.

Furtum domesticum iure Romano paulo leuius punitur a). Sed aliarum pleraque ciuitatum iura non absque vlla ratione feueriori modo in id animaduertunt b). Apud nos autem, habito Constitutionum imperialium (*Ukafen*) respectu, haec furti species omnino distinguitur, sed poenae ordinariae subiicitur.

a) l. 89. ff. de furtis. „Si libertus patrono vel cliens, vel mercenarius ei, qui eum conduxit, furtum fecerit: furti actio non nascitur.“

b) Meisteri princ. iur. crim. §. 214.

§. 45.

Datur praeterea famuli infidelitas et in heri personam (§. 41-). Famulum enim domino, cuius salus latronum impetu, furumque conatu in
discr-

discrimen venit, auxilio esse oportet. Si itaque maleficis, ad facinus in dominos melius patrandum, auxilium praestat, graui poenae criminali obnoxius censendus.

a) art. 177. C. C. C. —

l. 29. ff. ad l. Iul. de adu't.

l. 6. ff. ad l. Pomp. de parricid.

SECTIO TERTIA.

De iniuriis domino illatis.

§. 46.

Iniuria est quaeuis laesio dolosa iuris perfecti in honorem, aut existimationem alterius. Diuiditur 1) in realem et symbolicam, haec vltius in scriptam et oralem; 2) in directam et indirectam a); 3) in leuem et atrocem.

a) l. 15. §. 44. ff. de iniuriis.

§. 47.

Iniuriae omnes, domino a feruis illatae ob nexum subiectionis a IC^{tis} qualificatae dicuntur. Qualificata autem his audiunt, quae vi legum grauiori poena coercentur delicta a). Iudex tamen ex officio has iniurias persequi nequit, accusationem expectet. —

a) Alio etiam, eoque latiori, sensu occurrunt delicta qualificata, h. e. omnia, quae a lege poenâ ab ordi-

naria recedente coercentur, siue fit exasperata, siue mitigata. —

§. 48.

Poena iniuriarum in iure Suecico a), in Li-
vonia vigente, ita determinatur

1) vt, qui caloris iracundiae impetu herum he-
ramue iniuriis afficiat realibus, e. g. tunden-
do, verberando, per vnum mensem vinculis
detineatur. Consulto autem dominum verbe-
rans, nisi precibus hic intercefferit, plectatur
capite. Qui, veniam daturus, pro reo inter-
cedit, a capitali poena eum liberat, nihilo-
secius tamen a iudicio superiori poena gra-
vis ipsi determinatur b).

2) Ob verba contumeliosa poena, quae sumi
solet, pecuniaria *quadruplicatur*. Qui denique
despicatui habet dominum, fannis excipit,
ipsique comminatur, publice deprecetur et
in certum tempus carcere detineatur.

a) ord. Liuon. p. 728.

b) ibid. p. 727.

SECTIO QVARTA.

De homicidio doloso.

§. 49.

*Homicidium dolosum (Mord) est crimen, quo
quis, ex intentione praeconcepta alterius, vita pri-*

vatur. Poena secundum ius commune est *rota* a), quae, si crimen personarum qualitate *qualificatur* b), (§. 47.) *vellicatione*, forcipe candente adhibita, exasperari solet.

a) Art. 137. C. C. C. verbis: *Und also das &c.*

b) *ibid.* „Und man mag im fürgesetztem mordt, so der an— des thetters eygen herrn geschicht, durch etlich Leibstraff, als mit Zangenreiffen — umb gröfser forcht willen die straff meren.“ —

§. 50.

Si famulus herum occiderit, quomodo iure nostro Suecico puniatur, iam videndum. Capite plectitur et quidem decollatione, quia lex poenam non determinat. Exasperando, manum alteram ante reo amputari eiusque bona mobilia publicari iubet, cadauer, si maris sit, rotae imponi, foeminae cremari.

a) ordin. Liuon. p. 727.

CAPVT QVINTVM.

De contractus huius dissolutione.

§. 51.

Videmus hoc ultimo capite:

I) quomodo dissoluatur contractus?

II) quis factae dissolutionis fit effectus?

SECTIO PRIMA.

De modis, quibus dissolui solet contractus.

§. 52.

Duplici modo dissolutionem considerant ICti.

- 1) contractus vel ab initio, per vitium consensus (§. 12.) erat nullus,
- 2) vel qui validus fuerat, dissoluitur et quidem
 - a) vel ex causa interna, quae est
 - aa) siue mutuus dissensus,
 - bb) siue temporis lapsus,
 - cc) siue mors,
 - dd) siue delictum.
 - b) vel ex causa externa, quae esse potest
 - aa) tam tutelae delatio,
 - bb) quam nuptiae, a famulo contrahendae.

quas sigillatim iam eamus illustratum.

§. 53.

- 1) Vitium, (§. 52. I.) in essentialibus pacti, consensu maxime (§. 11. et 12.) latens, contractum reddit nullum.

§. 54.

- 2) Mutuus dissensus (§. 52.) tollit contractum, quia negotium eo modo dissoluitur, quo colligatum erat.
 - a) l. 35. 153. ff. de R. I.

§. 55.

3) *Lapsus temporis* e. g. anni (§. 52. §. 15.) Sed mutata vtriusque voluntas renunciatur, duobus mensibus ante annum elapsum a), nisi locum dare velint contrahentes *relocationi* (et tacitae quidem), quae est *renouatio contractus ad tantundem temporis, quantum primo contractu determinauerant*. Principia, quibus nititur, sunt: Si contrahentes, appropinquante contractus termino, nil aut de renouando contractu dixerint, aut alter alteri intra duos menses non renunciauerit, leges praesumunt, neutrum poenituiffe huius contractus et ideo hae obligant famulum in tantundem temporis, pro eadem mercede, quam antea determinauerat, apud herum manere, quem e contrario tamdiu eum retinere oportet.

a) ord. Liou. p. 445.

§. 56.

4) *Mors*. (§. 52.) Famulo ante finitum tempus defuncto, ipsius heredi non nisi mercedem tempore mortis meritam, herus soluere debet. Hoc luce clarius leges praescribunt a). Sed si herus ante finitum contractum moriatur? quaestio enascitur difficilior. Tunc videndum:

a) vtrum ipsius successor fit *singularis*? Hic

obligationibus defuncti non succedit, nec famulum diutius apud se habere coactus.

b) an successor *vniversalis*? Dispiciendum:

aa) an famulus ad praefinitum tempus apud eum *manere velit*?

bb) *nec ne*? Mercedem antea iam meritam prae ceteris habeat et abeat.

a) I. prou. et eq. Liuon, c. 20.

b) eod. l.

§. 57.

4) *Delictum* (§. 52.). Contractus etiam dissoluitur ob delictum, tam a domino, quam a famulo commissum, praesertim si alter paciscentium poena, quo minus obligationes contractu initas adimplere queat, impediatur.

a) cf. Publ. summi prouinciae praefecti d. 18. Oct. 1780 et Cl. *Nielsen Handbuch zur Kenntniss der Polizey-gesetze Livlands, Th. 2. Abschn. 7. §. 8. p. 17.*

§. 58.

5) *Tutela*. Si famulo paruulorum tutela traditur, seruitio se abdicare omnino potest, tantum mercedis reportaturus, quantum ei vsque ad hoc tempus debebatur. Merito plus, quod acceperit, reddat.

a) I. prou. et eq. Liuon. c. 150.

§. 59.

6) *Nuptiae* (§. 52.) a famulo¹ contrahendae legitimam excufationem praebent. Hero tamen id, quod nimium ei foluerit, repetere licet.

a) I. prou. et. eq. Liu. c. 150. — Statuta Rig. lib. 3. tit. 1. §. 4. tit. 12. §. 3. cf. I. prou. Sax. lib. 2. art. 33.

SECTIO SECVNDA.

De factae dissolutionis effectibus.

§. 60.

E diffolutione contractus variae enascuntur obligationes, vel domini, vel famuli, quas paucis verbis iam proponamus.

§. 61.

I) Iura atque obligationes famuli.

1) mercedem meritam exigit famulus, nec nisi casibus, quorum antea (§. 15 No. 5. §. 40.) mentionem fecimus, detractionem pati debet a).

2) res illius curae traditas reddit.

3) repetit *litteras dimifforiales*, a domino cui forfitan *proprius* erat, datas, nec non *litteras commeatu liberi*, a magistratu competente olim acceptas, ceu pignora fidelitatis, domino in limine contractus traditas. Denique

4) Testimonium morum petit, quod vt veritate nitatur, leges b) requirunt, quae poenam 20

Dalerorum domino minantur, quicumque prauum hominem, bono testimonio instructum, dimiserit. **Damnum** infuper, falso testimonio illatum, refarciatur c).

a) ord. Liouon. p. 445.

b) ord. Liouon. p. 34.

c) Publicatio summi prouinciae praefecti d. 31. Iul. 1764. Formulas testimoniorum nonnullas exhibet Cl. *Nielsen* op. cit. §. 10. p. 17.

§. 62.

II. Iura atque obligationes domini.

E supra dictis prone fluunt. Iuris enim, famulo competentis, correlatum, vti vocant, est obligatio domini, ac vice versa.